



5h




D. O. M. A.
 DISPUTATIO VIII.
 Centuriae Quintae
QUAESTIONUM
ILLUSTRIUM
 Philosophicarum,
In Inclycâ VVittebergensi Academia
Publicè
 Proposita
 PRÆSIDE
M. Jacobo Martini
 Logices Profess. Publ.
 RESPONDENTE
Ioanne Mülberge-
 ro Ratisponensi,
Ad diem 23. Julij in auditorio Collegij
veteris.



WITTEBERGÆ,
 Typis Martini Henckelij, Impensis Pauli
 Helovvigi Anno M. DC. VIII.







D. O. M. A.

Q U Æ S T I O 1.

An de Sophisticis Elenchis in Logicâ
tradi debeat.

Legantissimus † ille Lipsius in
Manuductione ad Stoicam Philosophiam dissert: 9: Ex
Socrate ait: Sicut qui secundante celo & vento navi-
gant, etiam quæ contra tempestates usui sunt, parata
habent: Sic bonus etiam logicus, quanquam totus in
eo est, ut præcepta ad veritatis cognitionem deducen-
tia conscribat, nihil ominus tamen sese contra impetum & insidiosa stra-
tagemata Sophistarum munit, dum utilissimam illam doctrinam de Sophisti-
cis Elenchis tractat, non ut alios fallat, sed ut aliorum retia & la-
queos evitare & declinare queat. Et, ut Zabarella lib. 1. denotat Log. c. 3.
inquit, t Sicut in arte aurifabrilis, quam logicam in multis æmulari ex logi-
cis passim constat, non sufficit nosse verum ac naturale aurum, illudq; ab
alijs metallis, quæ vel nullam cum eocognitionem habent distinguere; Sed
necesse etiam est, ut verus Aurifaber gnarus etiam sit discernere aurum
fucatum & alchymisticum à vero & puroputo auro: Ita etiam in Logicis
non satis est tradidisse Logicum partem Topicam & Apodicticam, quæ
veritatem tantum confirmant & falsitatem in Syllogismo manifestè falso o-
stendunt; sed necesse etiam est scire rationem & modum fucatos syllogis-
mos & speciem veri præ se ferentes deprehendendi & à veris discernendi.
Hinc præclare Thomas opusc. 39. c. 1. Logicam vocat scientiam rationa-
lem, & ad ratiocinandum inventam. Ratiocinando verò quid facimus ali-
ud, quàm quòd non tantum argumenta vera proponamus & confirmemus;
verum etiam falsa refutemus & rejiciamus: hoc est, tam argumentis
væra quàm falsa utamur. His enim ad co-
gnitionem

gnitionem veri deducimus; illis vero errorem falsitatis evitare & declinare possumus. Huic Thomæ sententiæ applaudit Philippus lib. 4. Dialect. hisce verbis: Sophistica non est tantum ludus puerorum in scholis certantium (uti multi existimant) talibus ridiculis captionibus; sed horribiliter in vita grassatur ferens & confirmans falsas opiniones in Ecclesiâ, curiâ, foro, ex quibus maxima discordia, bella & dissipationes generis humani oriuntur. Adversus hanc diram pestem necesse est bene præmuniri mentes & pectora. Existimemus igitur hanc doctrinam solvendi vitiosa argumenta, à doctis & amantibus veritatem magno consilio traditam esse studiosis, ut hanc Gorgonem opponere discant præstigiis sophistarum & Sycophantarum, qui communem vitam, dogmata & consilia publica, mendaciis & calumniis specie aliqua fucatis turbant.

2. Hæc tamen quamquam sint manifesta, & omnibus notum sit nos hunc ob finem tradere hanc de Sophisticis Elenchis doctrinam; Momuli tamen isti Ramista, ne quid pro more innato, intactum & inculpatum relinquunt, eandem ex agro logico eradicandam & eliminandam censent. Sententiam vero suam duplici modo suffulcire & palliare conantur. Primo quidem doctrinam hanc impietatis arguunt homine & Christiano indignam iudicant hoc argumento: Illa doctrina qua juvenes ad Sophismata & deceptiones aliorum instruuntur, est perniciosa & homine Christiano indigna: Sed hæc est talis, Ergo Minorem probant, quia in hac doctrinâ proponuntur omnes modi, quibus deceptiones fieri possunt, in quibus dum juvenis exercetur, ad Sophismata instruitur.

3. Quam tamen valida verò sequela sit hæc, ex modò dictis satis constat: siquidem non ut juventutem ad decipiendos alios illis instruamus, sed ad omnis generis Sophismata dissolvenda ut viâ cõmonstremus, hanc doctrinam tradimus; & sic deprehensa falsitate in minore, quam simpliciter negamus, tota argumentatio collabascit.

4. Deinde tamen inutile planè & super-vacaneam hanc esse doctrinam exinde evincere conantur, quia cognito recto, nõ opus esse videtur conscribere præcepta de obliquo, & contrariorum uno cognito, cognoscitur & alterum, & rectum & sui & curvi regula est. Atqui doctrina analytica ad sophisticam se habet tanquam rectum ad obliquum: Ergo eâ cognitâ non opus est tradere hanc.

5. Verum tamen Respondemus, I. ad majorem; obliquum cognoscitur ex recto, & nata non simpliciter; & distinguendum est inter cognitio-

nem confusam & distinctam. Sic in Mathesi qui scit quid sit linea recta, scit quid sit etiam obliqua, de utraq; tamen præcepta traduntur & quidem optimo jure & absq; ullâ ætæpoyevias labe. Quidni ergo idem fiat in logicis? 2. Deinde distinguendum est inter falsum quatenus falsum, & quatenus pallio veritatis tegitur, & pro veritate venditur. Illud à vero distingui posse cognitione generali & confusâ fatemur: hoc verò non nisi accuratâ cognitione adhibitâ deprehendi posse affirmamus.

Verum ¶ instant & obijciunt, Nullum vitium in arte homogeneous esse. Hoc ambabus & nos manibus largimur; quatenus videlicet vitium est: Homogeneous verò est, quando refertur ad virtutem, cui opponitur. Nam Testante Ovidio lib. 1. de remed. amor:

Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo

Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

Deinde ex territorio Logico ejici non potest vitium, quando remedij loco adhibetur: Quo duplici respectu in logicis de Sophismatibus agendum esse contendimus. Nam in Medicina agitur de Venenis, ut Augustinus inquit, non ut ea aliis propinemus, sed potius ut naturam eius cognoscamus, & si aliis propinatum est, sciamus quomodo homini succurrendum sit.

Q U Æ S T I O II.

An doctrina Sophistica simpliciter cognoscatur ex nudâ saltem cognitione locorum inventionis, ut non opus sit peculiari

tractatu.

Cum ¶ præcedente quæstione satis abundè declaraverimus & ad oculum demonstraverimus necessitatem doctrinæ de Sophisticis Elenchis; ipse ordo nos monet & jubet, hanc subnectere, quæ est, an eadem doctrina solum ex cognitione locorum inventionis profluat promanetq;.

Reperiuntur ¶ nonnulli, qui, in castris Ramistarum stipendia merentes, ut Schnellius, Heizo Buscherus & ceteri omnes, conantur evincere, ea nempe præcepta, quæ in parte judicari traduntur ad cognitionem hujus doctrinæ sufficere. Pro suffuclendâ suâ sententiâ adducunt auctoritatē Viri Eximii Jacobi Scheckii Peripateticorum facile principis, qui in com-

mentario suo in librum Aristoteli: *Ἐπι ἐπινοίας* cap. 11. Inquit
Pertinent etiam ad Topicam dialecticam, Sophistici Elenchi, quibus præ-
cepta continentur, quibus possit Dialecticus captiones Sophisticas effugere,
quorum hoc loco mentionem facit Aristoteles, sub appellatione Topico-
rum.

2. Verùm si dicendum, quod res ipsa est, concedimus & nos, utroq;
ipsis largimur, confusam quandam notitiam illos habere, qui in Topicis quo-
dammodo versati suere, explicatam verò & distinctam minimè; nisi in
specie quoq; hanc doctrinæ logicæ partem cognoverint. Contraria enim
juxta se posita magis elucescunt, & neutrum contrariorum perfectè cogno-
scitur, nisi & alterum separatim & distinctè cognoscatur. Hanc sententiam
etiam ipsum Scheckhium approbare clarissimè patet exinde, dum is in suis
commentariis præcepta dissolvendi fallacias & Sophismata distinctè tradit,
ut etiam ex ipso loco allegato satè constat, in quo Sophisticos Elenchos con-
tinere præcepta affirmat. Quod verò ad topicam doctrinam respectum
quendam habeant eòq; pertineant ex parte, facile concedimus.

3. Conclujum itaq; esto, ad Sophisticorum Elenchorum doctrinam
perfectè & distinctè cognoscendam maximopere requiri distincta & pro-
pria præcepta.

QUÆSTIO III.

Quod nam sit primum ac precipuum naturæ significatum.

1. Varios textus Philosophus lib: 5. Metaph: c. 4. naturæ significatus,
quos ut altius evolvamur, antequam ad præsentis *ἕτηματ* & discussio-
nem accedamus, maximopere necessarium videtur. 1. enim sumitur pro
viventium aliorumq; generatione sive affectione. 2. pro eo, ex quo insito
primum sit id, quod nascitur: Exempli gratiâ, secundum Aristotelem, Cor-
dicitur natura animalis, eò quod prima pars sit, quæ in animali generatur.
3. Dicitur a naturæ internum principium cuiusq; rei naturalis, unde primò
unaquæq; res habet, ut moveatur quatenus talis est, quæ significatio ex na-
turæ definitione lib: 2. Phys. c. 1. text. 3. oritur. 4. sumitur pro materiâ
primâ & subjecto, ex quo primo inordinatoq; & ex sua potestate immuta-
bili, aut est, aut fit aliquid eorum quæ naturæ sunt, quo pacto es statua
an-

encorumque vasorum natura dicitur. 5. Vsurpatur naturæ nomen pro substantiali formâ, & natura dicitur substantia eorum, quæ naturâ sunt, siue forma substantialis sumatur pro ipsa formâ substantiæ unde nomen habet, siue pro causâ efficiente, ex qua forma aliqua substantialis provenit. 6. Denique dicitur natura de essentiâ cuiusque rei. Ad quos modos redigi queunt reliqui omnes, quos excogitari licet.

Iam ad rem. Si rem significatam spectemus, de hac voce cum 2.
Svarez Tom: 1 disp: 15, sect: II Metaphysicè potius, quàm Physicè loquamur, Vox hæc principaliter & absolutè essentiã significat simpliciter & integram unius cuiusque rei, prout per modum formæ totalis significatur, & in rebus immaterialibus simplex est: In materialibus autem est composita ex materia & forma, quia nec materia nec forma est integra rei natura, sed partialis: Integra verò rei natura est composita ex utraque, ideoque meritò forma totalis Metaphysicè dicitur. Nec audiendi sunt illi, qui materiam & formam, eò quod essentiæ principia sunt, magis rationem principiorum habere, quàm totius essentiã, asserunt: Nec minus illi; qui essentiã non magis quàm formam & materiam, eò quod essentiã totius naturalis compositi à materiã & formã simul sumptis non distinguatur, naturam dici existimant.

In priori ergo ratione, consequentia nulla, cum principium intrinsecum, seu est materia & forma ordinem ad compositionem: Essentiã verò ad operationem, in quo tamen ordine naturæ ratio consistit, habeat. In posteriori ratione itidem neganda consequentia: Licet enim essentiã totius compositi sola ratione (ratione tamen rationata non ratiocinante) à materiã & formã simul sumptis distinguitur: Semper tamen eã ratione qua distinguitur, magis sibi naturæ appellationem, quàm materia vel forma vendicat, eò quod ex naturâ rei ordinem ad operationem magis obtineat.

QUÆSTIO IV.

Utrum natura rectè ab Aristotele
in Physicis definita sit.

¶

1 Ex antecedente † problemate efflorescit aliud, quidnam de definitione illâ Aristotelicâ Natura sit sentiendum: Natura est ἀρχὴ καὶ αἰτία τῆς κινήσεως καὶ ἠρεμίας, ἐν ᾧ ἀρχὴ πρῶτος, καὶ αὐτὸ, καὶ μὴ ἐσὺ συμβεβηκός, id est, principium est causa motus ac quietis eius, in quo est primò per se, ac non secundum accidens.

2 Quam † circa definitionem varii varios movent dubitandi scrupulos. Nonnulli enim non modo, naturalia, hoc in loco, verum etiam artificialia, & entia immaterialia finita, cum & ipsa moveantur, (horologia & alia αὐτῶν ἡμεῶν puta) definiti autumant. Deinde nonnulli naturæ hanc definitionem non solis ac omnib. rerum naturalium principiis substantialibus competere ex eo sibi persuadent, dum nō simplicium corporum, puta, calorū & Elementorum, formis conveniat. Alij hanc naturæ definitionem consistere nō posse aiunt; quòd per illam materia cœli esset natura respectu motus voluntarij, quod tamen falsum. Nam, hoc concessò, sequeretur motus violentos jam esse à natura. Deniq; naturæ hanc definitionem exinde rejiciunt quidam; quòd mens Aristotelis fuit, eâ solùm explicare materiam & formam substantialem: Cùm tamen non minus congruat essentia ex utraq; constituta, atq; illis.

3 Quid † verò reverà de hac definitione Aristotelicâ sentiendum sit, quanquam per se manifestum est, uberioris tamen explicationis ergò hæc addimus. 1. Quòd potius sit descriptio, quam definitio: siquidem natura à priori non, sed per effecta à posteriori defini potest. 2. Quod quædam in ea uberioris explicationis & distinctionis gratiâ tantùm adducta sint. 3. Quod non semper principium unius contrarij sit & principium alterius. 4. Quod quædam alibi generaliter dicta, hic in specie repetantur. Ad argumenta proinde & obiectiones adversariorum respondemus, & quidem ad primum, Horologia & alia αὐτῶν ἡμεῶν habere quidem principium motus in se, sed illud non accipere à se & suâ naturâ, sed extrinsecus videlicet à parte. In secundo latet æquivocatio in vocabulo, principium, quod aliàs est effectivum aliàs passivum, & licet formæ corporum cœlestium non sint principia effectiva, passiva tamen eas esse nemo negabit. Tertij argumenti falsitas ex eo patet, quia motus localis propriè sic dictus seu voluntarius sit seu violentus, semper tamen est naturalis ex parte principij merè passivi: Sic non materia modò cœli, verum etiam forma est natura, respectu motus cœlestis, qui ex parte principij effectivi est simpliciter voluntarius.

tarius. Ad quartum denique & ultimum respondemus, communem essentiam rei naturalis non esse naturam, ut natura hoc loco explicatur, licet sit principium & causa motus & quietis istius suppositi in quo inest, quia non est principium & causa interna eius speciei, sub qua suppositum collocatur.

Q U Æ S T I O V.

An cœlum sit præditum figurâ globosâ?

Diversi & diversas Cœlo olim formas attribuebant, teste Theodoro in lib. de Mat. & Mund. Et Plutarcho lib. 2. de plac. Philo. c. 2. Quidam enim cœlo figuram ovi, alij testudinis, alij pineæ nucis convenire putabant: Nonnulli ad quamvis recipiendam formam idoneum cœlum proclamabant. Sic D. Augustinus lib. 2. de Gen. ad lit. c. 9. & alibi: dubitare se, inquit, an terra cœlo undiq; circumfuso contineatur. In hanc quoque descendit opinionem Lactantius, uti videtur lib. 7. divina: Instit. cap. 24. eosque deridet qui cœlum rotundum & in omnes partes de vexam crediderunt, eo potissimum adductus fundamento, quod exinde sequeretur terram globo esse similem. sicque ea, quæ nobis sunt ad versa, omnia pendere. Sic D. etiam Chrysostomus hom. 14. & 17. ad Hebr. cœlo derogat rotunditatem, eam ob causam, cum S. literæ appellent cœlum tabernaculum à Deo fixum. Hanc sententiam secutos esse nonnullos meminit D. Damascenus lib. 2. fid. orth. c. 6. qui cœlo hemicycli figuram competere exinde probare conati sunt; quia Psalm. 103. extat: Extendens cœlos sicut pellem. Et apud Esaiam c. 40. Expandit cœlos sicut tabernaculum ad habitandum. Unde manifestè colligi posse arbitrati sunt, cœlum non rotundam, sed hemicycli figuram obtinere.

Ptolomæus & Diel. 1. adducit opinionem quorundam, qui dicebant stellas moveri quidem ad motum cœli ab oriente in occidentem, sed motu recto in infinitum, non autem motu circulari. Hoc si verum esset, cœlum planum esset.

Alii & rotunditatem cœli negant hisce potissimum moti argumentis. 3
1. Si stellæ fixæ ubiq; eandem à terrâ, tanquam à suo centro habent distantiam, sequitur cœlum esse rotundum. Sed antecedens est falsum: quia stellæ propè horizoni maiores apparent propter propinquitatem majorè, quam in medio cœlo si existunt: Ergo & consequens. 2. Quia Luna & Sol non videntur esse corpora globosa, sed plana; Non igitur sunt rotunda, atque adeo nec ipsum cœlum. Et licet quidem astra videntur rotunda, non tamen revera sunt

ta sunt talia : quia etiam quadrata si cernimus eminus , rotunda apparent.
Videtur Aphrodisiensis lib. 1. probl. Quæstio. 35. 3. Licet cælum etiam, aliam
quàm rotunditatis formam, ut ovi aut cylindri habeat, non propterea ta-
men sequitur, dari uacuum si moueatur. 4. Archimedes docet libr. Isoperi-
metr : figuram sphericam omnium Isoperimetrarum esse minimam : Ergo
illa cælo competere nequit, cum ei capacissima debeat. 5. Quia quadra-
ta figura cælo magis convenit, quàm illa : Hæc siquidem inconstantiam,
illa vero firmitatem designat.

4 Nos t̄ vero quicquid etiam præcedentibus rationibus vel probetur
vel concludatur statuimus & certo scimus, cæli figuram exactè rotundam
esse.

5 Quæ nostra sententia tantùm abest, ut contra sacram doctrinam pug-
net, ut potius ab ipsa adstruatur & confirmetur. Ecclesiastes enim cap. 1.
ait : Et oritur sol, & occidit sol, & ad locum suum regreditur ubi oritur.
Vadit ad meridem & circuit ad Aquilonem, sub inde circumeundo pergit
spiritus, & ad circuitus suos reuertitur spiritus. Unde D. Hieronymus
in comment. in cap. 1. Epist. ad Ephes. graueriter increpat eos, qui cæ-
lum non undiq. rotundum, sed fornicis modo curvatum faciunt.

6 Iohannes t̄ de sacro Bosco cap. 1. spher : cælum rotundum esse tri-
bus probat rationibus. Prima desumpta est à similitudine. Mundus hic
sensibilis fabricatus est ad similitudinem mundi archetypi, hoc est, DE I
opt : Max : in quo nec est principium, nec finem assignare, cum sit infinitus
Ergo debet esse rotundus, ut non possit in eo assignari principium vel finis.
Sed ratio hæc parùm videtur probare. Eodem enim medio probari posse vi-
detur, & hominem debuisse creari rotundum & cæteras creaturas omnes.
Verùm dicendum esse putat Clavius, cum Augustino, Deum creaturas
condidisse ad suæ bonitatis perfectionis & manifestationem. Cum igitur una
sola creatura imperfectissime DE I perfectionem nobis ostendat, potius uni-
uersum mundum, in quo omnes creaturæ continentur, & qui efficacius ex-
actius & perfectionem & bonitatem Dei manifestat & declarat, rotundum
effecit Deus, quàm singulas creaturas, quàm vis & singulæ creaturæ ro-
tundam figuram, quo ad eum fieri potest, ubiq. imitantur, ut in truncis arborum,
ramis, & in extremitatibus membrorum animalium, atq. in fructibus apparet.
Omnia enim hæc rotunda quodam modo sunt, non tamen omnino, ut esset
maior pulchritudo & splendor in tanta creaturarum varietate.

Alterat̄ ratio desumpta est à commoditate. Quia Mundus hic omnia

in se continet, debuit habere figuram ad hoc maximè utilem & commodam
hoc est, talem quæ omnium est capacissima. Atqui Sphæra inter omnes fi-
guras corporeas Isoperimétras maxima & capacissima est. Ergo talis
figura ei à natura iure fuit concessa. Sed, inquis, DEVM potuisse facere
mundum alterius figuræ ampliore. Sed, audi tu, DEVS & natura nihil
faciunt frustra, & semper id quod melius est, producant. Consentaneum
igitur rationi est, mundum rotundum à DEO conditum fuisse: Cum ex-
cessus ille alterius figuræ amplioris superfluus videatur, & sine ulla pro-
fus ratione & necessitate constitutus. Deinde Nobilissimo corpori, nobi-
lissima debetur figura: At cælum est corpus nobilissimum: Ergo cælo debe-
tur nobilissima figura: qualis est rotunda sive sphærica. Quemadmodum e-
nim inter planas figuras circulus, sic inter solidas sphæra principatū obtinet. 7

Tertia † ratio desumpta est à necessitate. Cælum movetur. Si igitur
non haberet figuram rotundam sed multilateram videlicet trilateram sive
Pyramidalem aut quadrilateram sive cubicam & c. sequeretur hoc absur-
dum: esse nimirum aliquem locum sine corpore, et dari uacuum: à quo ta-
men abhorret uniuersa natura.

His † addi potest quarta ratio sumpta ex Ptolem dist: 1. Videmus e-
nim stellas fixas in eadem semper distantia & propinquitate ad nos moveri
& eas, quæ sunt propinquiores polis, describere circulos minores, illas ve-
rò, quæ remotiores, proportionaliter maiores: Quod quidem nullo pacto
fieret, si cælum non esset rotundum. Solum enim partes omnes corporis Sphæ-
rici à centro æqualiter remouentur.

Ad † dicta itaq; Ptolem: & Prophetæ Esaiæ supra allegata responde-
mus, ea nihil prorsus facere ad præsens negotium. Non enim Spiritus sanctus
in ibi per tabernaculum formam, sed officium cæli iudicare voluit. Et Augu-
stinus libro. 2. de Gen. ad lit: cap. 9. ait, dici in Psalmo, DEVM extendisse
cælum sicut pellem ad fabricandi facilitatem significandam, quod tam fa-
cile Deo fuerit, illam cælestis mundi immensitatem condere, quam facile
nobis est complicatam pellem extendere.

Ad † Lactantij rationē dicimus, concedendo id, quod terra quidē sit globosa,
negando tamen illud quod exinde colligit, ea nempe, quæ nobis aduersa sunt,
in globo terræ, pendere; cum omnia gra-ua suo pondere ad mundi medium
ferantur; nec inde nisi motu violento & contra suam naturā di-uelliqueant. 10

Opinionem † quam Ptolomæus refert, & eius rationem
merito ridiculam & absurdam iudicant Astronomi, reijciuntque
ob sequentes rationes. 1. stante enim illa opinione, una eademque stella 11

non appareret nobis in eadem propinquitate, sed potius ad nos accederet in meridie, quam in ortu siue occasu, quod falsum est. 2. Quia videmus quotidie easdem stellas numero, postquam aliquandiu delituere sub terra, redire ad orientem: quod nequaquam fieret, si motu recto veherentur.

3. 2. Ad quinque rationes opinionis ultime respondemus; Ad 1. quod in ea lateat fallacia secundum non causam ut causam. Nam non propinquitas caeli in causa, (quae ubique eadem est,) cur stellae Horizonti viciniores majores appareant, sed densitudo & multitudo vaporum à terra egredientium, per quos tanquam per nebulam stellas aspicimus. Ad 2. dicimus, Solem & Lunam videri quidem corpora plana, sed non esse. Corpora n. sphaerica eminus conspecta, plana videntur. Unde Aristoteles in problem. sect. 15. q. 7. inquit; Cur Sol & Luna plana esse videntur, cum tamen conglobari in sphaeram certum sit? An ut plura, quorum quod non plus minusve distet in certum sit, aequè posita esse videntur. Sic etiam quod partes obtinet, nisi color varius adsit, partes ex a quo omnes collocatos habere, videri necesse est; quid autem ex a quo aspectui obuiam sit, idem aequabile, compositum & planum videri oportet. De astris reliquis quod inferunt, eadem facilitate qua asserunt, nos rejicimus; siquidem astra rotunda esse ex observationibus & rationibus Astrologorum satis superque constat. Ad 3. Respondemus, fieri non posse ut caelum recipere queat formam orbis aut cylindri, propter motum inferiorum orbium; aut enim sese mutuo confringerent, aut mutuo permearent. Et Aristoteles lib. 2. de cael. c. 3. inquit: Nulla alia quam sphaerica forma caelum constat; alias oporteret eo motu inanem relinqui aliquam partem, quae antea occupabatur & contra. In 4. latet aequi vocatio in voce, minima; Figura sphaerica est minima Isoperimetrarum, quoad loci occupationem, maxima quoad capacitatem & interiorem cavitatem. Tandem ad ultimam dicimus, licet quadratura constantiam denotet, nihil tamen illa significatio ad praesens negotium facit; nec est apta ad circumgyrationem, quae ad sphaeras mobiles requiritur. Proinde incongrua haec forma, & incongruum hoc argumentum. Immotam igitur manet pulcherrima haec caeli forma (ut cum Cicerone loquar lib. 2. de Nat. Deor.) quae sola omnes alias figuras complexa continet, quaeque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil an fractibus, nihil eminens, nihil lacunosum.

Q V A E S T I O VI.

An globi caelestes quo altiores, eò nobilioris

natura sint?

Affirmatio



Affirmatiua nonnulli subscribunt, hisce potissimum adducti rationibus :
1. Ipse naturæ ordo arguit hoc & ostendit, quod videlicet ea quæ superiora sunt, sint nobiliora. 2. Constat hoc ex nobilitate effectuum : Planeta e. quod altiores, eò nobiliores edunt effectus, uti Astrologi ipsi testantur. 3. Quia orbis propter tam insignia astra, imprimis 12. signa Zodiaci, nobilior cæteris inferioribus. 4. Quia in corporibus continens est formalius contento, comparaturq; ad rem contentam ut totum ad partem: quod verò ita se habet dignius est, uti Aristoteles docet 4. Phys. auscult. lib. c. 5. l. 49. Ergo quælibet sphaera superior continens nobilior est inferiori contenta.

Veriorem t. sectantes sententiam Astrologi hæc quæ jam prolata sunt argumenta non rejiciunt, quatenus intelliguntur de reliquis, excepto medio Solis nimirum orbe, sphaeris: quatenus verò promiscue & nullo Solis habito respectu applicantur ad omnes & singulos orbes mobiles, eadem tanquam falsa suis patronis remittunt. 1. Primum, siquidem non ex toto verum est: Nam eatenus tantum ordo naturæ præponit nobiliora vel extollit, quantum par & conveniens est, & quousq; fert ratio communis boni. Iam verò ipse ordo poscebat, ut sol medium orbem obtineret, ut inde quasi e medio Regni vim suam & virtutem passim spargeret. Quod si verò in alterutram orbium extremitatem locatus fuisset Sol, si supra, frigore, si infra, aestu & flammis omnia consumpta fuissent. 2. Ad secundum. Quamquam Planetis multa attribuantur effecta; ea tamen Sol suis effectibus longè antecellit, ut illa etiam vix cum his conferri queant. Ad 3. respondendum est: Orbem solarem duplici modo considerari posse: 1. quidem quatenus cū Sole est coniunctus, hocq; modo nobilitate cæteros omnes multis parasangis post se relinquit: 2. quatenus verò orbis in se consideratur, dici potest, quod reliquis tam superioribus, quam inferioribus sit æqualis. Solutio quarti & ultimi argumenti exprimi peti potest, siquidem non semper, quæ nobiliora, superiori loco collocantur.

QVÆSTIO VII.

An odores nutriendi vim habeant?

Pro t. negativa huius questionis parte, suatore Scaligero, stabimus, qui Exerc. 101. sect. 17. ita definit nutritionem: Nutritio vera est unio naturalis nutrimenti transmutati: Et non est (uti idem Scal. Exerc. 146. sect. 2. & Exerc. 101. sect. 15. docet) nisi corporei nutrimenti, idè, ut id

B. 3.

quod i

quod defluxit restauretur. Quomodo vero qualitas, quomodo accidens ut odor, substantiæ apponetur, siquidem illam instaurare nequit, nec principium aut pars ejusdem esse potest? Nullum enim accidens (uti Zabarella lib: de constit: Indiv: c. 4. monet) potest statui principium substantiæ; Et substantia ab accidente mutari nequit. Imò, ut Scaliger iterum loquitur Exerc: 303. sect. 1. ne corpus quidem alitur odoratis quatenus odorata sunt, quando, quod admirabilius est, ne sapidis quædam, quatenus sapida sunt, sed quatenus substantia transmutabilis in substantiam corporis, quod nutriri debet.

2. Sed † obijciat aliquis, odoratis nutriri spiritus animales. Respondemus negatè: siquidem nihil nisi vivens nutritur Arist.: lib: 2. de ani: c. 4. Iam vero spiritus nec vivunt, nec sunt animati, Fernel: lib: 2. Physiol: c. 2. ergo illa nutritio tantum est Metaphorica & impropria, quæ spiritus tantum recreantur & refocillantur. Hoc pacto etiam illa dissolvenda, quæ afferuntur de Democrito Philosopho, qui per triduum sola odore panis calidi vitam produxit; & quæ de Mæcho quodam fame enecando, qui per aliquot dies tantum nidore carnis assatæ ut cruciatus eoduturniores essent, fuit sustentatus. Quæ tamen sustentatio vii jam dictum est, non vera nutritio, sed spirituum tantum refocillatio & recreatio nominari potest.

QUÆSTIO VIII.

An certamina singularia sint concedenda.

Monomachiam antiquissimis temporibus in usu fuisse testantur historiæ tam sacræ, quàm profanæ. Palæstini enim contra Israelitas expeditione susceptâ, apud Sochonem Iudææ castra posuerant: utraq; castra vallibus dirimebat. Goliathus igitur Gethæus robori & armis fidens ad monomachiam provocabat Israelitas. David Isai filius Bethlehemita puer adhuc atq; pastor, Iehovæ numine fretus pedum pastoralium cum fundâ corripuit, bestiasq; quinq; leævibus ex flumine silicibus & in sacco positis, palæstinum multa minantem aggressus frontem ejus tanta vi percussit, ut pronus humi concideret. Mox accurrens, ense illius stricto caput ei amputavit. 1. Reg. 17. Ioseph. Antiq: lib: 6. cap: 2. Mortuo Saulo David à Iudæis Rex creatus est: at Isbosethi filius Israelitis imperavit. Abner Neris filius Isbosethi Polemarchus, Davidis Ioabus, apud Gatacriam piscinam castra locarunt. Abner duodecim Iuvenes Beniamiticos emisit, qui Davidi-

cos

cōs totidem provocarent. Commissi igitur inter media castra praeheusi alteri alterorum capitibus, latera sibi mutuo gladijs confoderunt: tandemque Davidi Isbosethanos superarunt. 2. Reg. 2. Iesibenus gigas duello pugnavit cum Davide. 2. Reg. 21. Saphus quoque gigas à Sobochae Davidis milite apud Nobam interfectus est. ibid. Sic alius quidam Goliathus apud Gobam ab Elehana Iaarei filio interfectus est. ibid. & 2. Paral. ca. 20. &c.

Bello ꝑ Trojano Patroclus & Lycius Sarpedon signo inter se dato solitarij certaminis, extra aciem processerunt, Lyciusque à Patroclo interfectus. Post Hectoris & Achillis interitum Trojanorum rebus ad interitum jam vergentibus, Philoctetes Alexandrum sive Paridem omnis mali auctorem, ad singulare certamen arcus provocavit & interfecit. In eo bello quod Cypry & Ionas contra Persas gesserunt, cum terram marique dimicaretur, in terram Onesilus Salaminis Cypriae Tyrannus contra Artymbium Persarum Ducem pugnavit. Herod. lib. 5.

Imò ꝑ usque adeo hoc genus pugnae inolevit, ut Germani olim ambiguas causas & potissimum criminales eo probarent, credentes justam causam forti dicitur nimen ad esse & victoriam largiri. Frodo quoque III Danorum Rex legem tulit, ut omnes controversiae duello definirentur. Saxo. lib. 5. Apud Moschos prolatam à Iudicibus, ab ipso etiam magno Duce, sententiam, ad singulare nihilominus certamen provocatio datur. Olaus lib. 1. c. 20. Longobardi in Italia duelli usum introduxerunt sic, ut Agilulfus Rex legibus quoque de ijs ca. verit. Bern. Saccus. lib. 9. Tricinensis Historiae. In legibus Caroli Magni. Imp. Lombard. 2. tit. 54. l. mentio. Statuitur ut in criminalibus causis accusator & defensor in campo cum fustibus pariter contendant: neque eorum iure jurando res committatur. Quod tamen ita intelligendum constat, cum aliud probationum jus deficit. Hotom. disp. de Feud: cap. 44. Lege Imp. Othonis IV. in Romandiola de Principum Italarum sententiam promulgatam scientem & non contradicentem Papam. Ioanne XIII. universamque synodo, quae tum Ravenna con. venerat (ut patet ex Lombarda. lib. 2. tit. 54. l. antiquis: & ex legis Franc. lib. 5. tit. 4.) statuitur, ne deinceps tota Italia, etiam usque, locis in quibus iure Romano, id est, Iustizianeis legibus utebantur, controversias iureiurando disceptent, propter perinrorum multitudinem: sed duello & certamine illas dirimant, Idque institutum Otho non modo in privatorum & Laicorum, verum etiam in Ecclesiarum litibus observari iussit. l. vult. eodem.

Suscipite



4 Suscipiebantur † etiam Monomachia & pro-vocationes ultionis cupiditate. Sophanes Eurychidis filius Atheniensis, obsidentibus Aeginam Atheniensibus, Eurybiadem virum Argium quinq; certaminum victorem, ex pro-vocatione interemit. Herod. lib. 7. Sic ultionis cupiditate duodecim juvenes Benjamitici pro-vocarunt totidem Davidicos: & ex eadem causa Patrocli & Lycy certamen fluebat. Sic Badius Campanus ad singulare certamen pro-vocavit T. Quintium Crispinum. Livius lib. 5. dec. 1.

5 Suscipiebanturq; † etiam Nuptiarum causa. Monomachia Paridis & Menelai, item varios ritus eius proponenda & confirmanda petantur ex Eustathio Hiad. 7. Clytus & Dryas pugnarunt inter se pro Pallene filia Hodomathum Regis Sithonis. Parthen. de Amatoris cap. 6.

6 Gloria † quoq; & victoria causa; item roboris declarandi gratia. Sic Goliathus pugnaturus cum Davide robori & armis fidebat. Romulo proximus Cornelius Cossus Iovi optima spolia consecravit, cum magister equitum ducem Fidenatum in aciem congressus interimisset. Magnus initio huiusce generis inchoat & gloria Romulus: Casso quoq; multum acquisitum est, qui imitari Romulum voluit. Valer. lib. 3. c. 2. Sulpitio & C. Licinio Calvo Coss. Galli ad tertium lapidem Salaria via proxime urbem accessere. Tum unus ex Gallis ingenti statura vir alta voce fortissimum pro-vocavit Romanum ad singulare certamen, ut ex talis pugnae eventu intelligi posset, utra gens melior bello esset. Sabellicus lib. 3. Ennead. 4. Gellius lib. 9. c. 13. Probus, antequam ad imperium eleveretur, in Africa proconsul, Aradionem fortissimum virum singulari certamine interemit, & honorifice sepelivit. Fulg. lib. 3. c. 2. & c.

7 Hodie † quoq; nonnulli pro-vocationes & Monomachias iterum introducere conantur, sibi & aliis persuadentes veram in illis fortitudinem occupatam esse: legemq; naturae pro se loqui arbitantes, quando vim vi repellere concedit. Item Aristotelem, qui 1. Rhet. c. 12. de inimico vindictam sumendam esse ad vitanda varia absurda, jubet. Et lib. 5. Nicom. c. 5. Philosophus in haec verba desinit: Cives vel malum acceptum reponere conantur, quod si non liceat, servitus esse videtur, injuriam referre non posse. Quod si igitur licet ex mente Aristotelis referre injuriam, utiq; etiam pro ea referenda licebit pugnare duello.

8 Verum † erronea, imò impia videtur horum opinio, quae de eiusmodi duellis loquitur, in quibus manifeste vita hominis periclitatur, quae ut plurimum Christianis Imperatoribus, tanquam si spectacula cruenta, displicent.

runt. *Ut pote in tit. Cod. de gladiatoribus, inserta est lex Constantini, quæ ita habet: In ocio civili & pacè domesticà cruenta spectacula non placent. Theodosius Imperator populo in theatro gladiatores ab eo esflagitanti, respondit, pium Principem non tam oportere regnare, quàm spectare clementer. Et Abbas Panormitanus omnes ludos, in quibus periclitatur hominis salus, omnino tollendos esse, quod pugnent cum verbo D E I, contendit. Et si etiam Imper. Fridericus in tit. de pace petendà, in usibus Feudorum, duellum inter legitimos modos probationum approbare videtur: Et in lege antiquà Barbarorum peculiaris est titulus de Championibus & causis, quæ ad eos pertinent: Verùm cum hæc omnia sint resixa, ut verbo Dei contraria, paulatim in desuetudinem venerunt, & sic expirarunt.*

Impia † autem duella & pro-vocationes esse nemo fortè dubitabit vel negabit. Fiunt enim in illis homicidia, quæ se verè Decalogi præcepto quinto prohibentur. Si objiciat quis, vitam famæ postponendam esse: illi responsum esto, longè alias, meliores & certiores esse rationes ac modos se defendendi, causæq; suæ bonitatem & certitudinem demonstrandi. Qui veritatem demonstrare & dijudicare ex certamine singulari satagit; idem facit, ac si quis proprium hominis per non proprium velit dignoscere: siquidem veritas, gloria, honor, bona fama & similia homini sunt propria: robur verò corporis commune est homini cum brutis, imò bruta animantia ut plurimum robore hominem longè antecellunt. Sequeretur igitur inde, feras majori honore dignos esse ipso homine, & rusticos ac bajulos nobili & generoso. Pugnat etiam dimicatio hæc singularis cum lege naturæ, quæ propagationem non destructionem exoptat. Et quamvis per hanc ipsam licitum sit vim vi propellere: certà tamen limitatione id intelligendum est, nempe ut neq; vindicta excedat injuriam, & fiat in instanti. Post moram enim aliquam temporis propriam vindictam neq; leges naturæ neq; civiles concedere videntur. Ad quod enim magistratus & judicis gladius, si ipsemet tu eo uti velis? vindicta itaq; sumenda est ab inimico, juxta Aristotelem, sed modo legitimo. Singularia etiam certamina ut plurimum honoris & gloriolæ causa instituuntur. Sed honor hic, honor non est. Verus enim honor virtutes morales respicit, quæ non pendent nec dijudicari possunt ex viribus corporis. Rectè enim Aristoteles lib. 3. Eth. c. 9. censet, viros fortissimos non esse maxime bellicosos; sed eos, qui plurimum valent virtutibus.

Ergo † nullo modo ferenda duella? Dicam brevibus: Imperij pro- 10
pugnandi & conservandi, servitutis depellendæ, libertatis retinendæ, re-
gnorum

gnorum depopulationes, urbium incensiones, populorumq; strages avertendi, finemq; bello imponendi causa certamen singulare suscipi conceditur, cum ex duobus malis, minus elegendum sit: aliàs nequaquam.

Q U Æ S T I O IX.

*An dimicans singulari certamine teneatur
permittere interfici, vel potius
se victum tradere.*

1. Præcedenti † in questione dictum est quâ lege & conditione concedenda sit monomachia; Quod si itaq; contigit, ut hoc pacto duo vel duces, vel alij ad pugnam destinati congregiantur, quò rem universam dirimant: Tunc certaturi probe considerent, quâ lege in arenam singularis certaminis descendant, quid honestum sit, quid non, quid cuiusvis principi expediat & quod secus.

2. Quando † itaq; viriliter pugnarunt ambo, & accidit, ut alteruter in discrimen incidat vel servitutis vel mortis; & si neutrum, eorum conducat illis, pro quibus pugnat: tunc rectâ ductus ratione, victum se potius tradere debet, quàm ut interficiatur, permittente, consideretq; illud quod sibi met non desunt, idq; præstitit quod præstare valuit. Sine ulla enim utilitate permittente interfici, & sine honesti assentione, temerarium est, naturæq; legi adversum. Et corpore se victum non fateri, dum re verà victus est, obstinatio perniciofa est. Quod si verò aliquis pugnet pro veritate fidei, satius est, ut mortem eligat, quàm religionem suam veram abneget; Ex eo enim quod verum inficiaretur, magnum patraret scelus.

3. Reperiuntur † verò nonnulli, qui summum bonum in gloria & honoribus positum esse censent: quorum ex mente si loquuliceat, sanè concedendum erit, satius esse fortiter mortem oppetere, quàm miserè & in servitute vivere. Sic Spartani in præliū prodeuntes clypeos gestabant, quæ inscripta hæc fuere: *AVT CVM HOC, AVT IN HOC.* Eam occasionem etiam Lacedæmonij præceperunt suis militibus, ne unquam se victos traderent. Propterea Seneca in libro de beneficiis inquit: Cum in victos esse Lacedæmonij suos civis magni aestimarent; ab his certaminibus removerunt, in quibus victorem facit, non iudex, non per se ipse exitus, se vox cedentis & tradere jubentis: Hoc quod illi in civibus suis custodiam

virtus

virtus ac bona voluntas omnibus præstat, ne unquam vincatur, quando quidem etiam inter superantia animus invictus est: Ideo nemo tercentos Fabios victos dicit, sed occisos, Et Regulus captus est à Pœnis, non victus, &c. Sic Plátolib. 3. de Repub. dixit: Qui futuri sint liberi, illos teneri magis formidare se virtutem quam mortem, & in bello honestam mortem turpi saluti esse præferendam. Et 5. de Repub. Qui vitens ab hostibus captus fuerit, etiam gratis reddere volentibus relinquendus est, ut prædâ, quomodocumq; libet, utantur.

Exinde † colligi potest, quæ nam veterum quorundam Philosophorum hac de questione mens fuerit: verum cum ea omnia falso innitantur fundamento, siquidem summum bonum non in solis honoribus situm est, ea suis authoribus remittimus; Nos melius edocti priorem sententiam amplectimur.

Q U Æ S T I O X.


An sagarum per aquam frigidam probatio sit licita?

Varia † eaq; supersticiosa olim fuere tentationum genera, quibus innocentia accusatorum probata & tentata fuit: Inter quæ etiam hoc non postremum, quando veneficæ ligatis pedibus manibusq; flumini leviter impositæ, si submersæ insontes, si supernatarunt, fontes fuerunt habitæ. Hoc certe explorationum genus diabolico instinctu excogitatum est, nempe ad divinæ potentiæ tentamenta vergens. Recte igitur illud Imperator Lotharius sustulit jur. Lombard. lib. 2. r. 52.

Sed † lex & abrogatio hæc, licet sit Imperatoria, non tamen ad leges Ramistarum quadrat. Scribonius enim in sua physiologia hunc tentationis modum Iudicibus & Rebus publicis suadere conatur duplici potissimum ratione. Audiamus sapientiam Ramistæ. Prima eius ratio est: Quia Dæmon, qui eas obsidet, spiritus levis est, & proinde etiam illas leves reddi. Altera: Quemadmodum enim aqua ad salutem hominum condita est, eaq; homines in baptisate abluuntur: Sic eos quasi prodit & odit, qui à suo creatore defecerunt & periuri facti sunt.

Quomodo † fallent hæ rationes, cum, quemadmodum Ramea omnia, exactè (si Diis placet) quadrent ad legem veritatis, justitiæ & sapientiæ?

Prout autem res sese habeat: Quaeso dic nobis, Ramista, unde scias, Diabolum
levem esse: certe tu nobis levis videris, qui hoc affirmas. Quid si nos di-
ceremus eum gravem esse. Non vimus enim quendam, non adeo in doctum,
non etiam juvenem, sed senem, qui serio affirmavit & testatus est, se aliquā-
do Emdā Frisiae Orientalis in pagum, qui portus Mariae ab incolis denomi-
natur, diabolum pallio suo inhaerentem deportasse, cum quidem eo onere ita
premeretur, ut vix incedere posset. Sed, audi Scriboni, neque levis neque gravis
est diabolus. Levitas enim & gravitas sunt qualitates corporis: At Spi-
ritus est Damon, non corpus: Quomodo igitur in corpore ei
4 attribuentur? Mira & etiam occulta & valde subtilis est secunda ratio.
Vnde aqua advenit intellectus, vis ratiocinandi & dignoscendi periuros à
fidelibus? Annon hoc modo maior sapientia, excellentiorque judicandi vis tri-
buitur rei & motu & sensu & iudicio & sapientia carenti, atque homini, cui
haec omnia verè insunt? Sed inquis, non opus hic esse iudicio, non etiam sa-
pientia; sed id occulta virtuti, à Deo aqua concessa adscribendum esse. Pe-
tis principium mi Scriboni. Aequè enim obscurum & incertum, imò falsum
& absurdum est hoc atque illud. Occulta virtus naturalis, ingenium natura
ubique retinet, hoc est, semper & ubique eodem modo agit. Qui ergo fit, quod
hic & ventus non semper respondeat? Lusus Diaboli est, qui ita Magistratum
superstitioso ac incredulo imponit: Interdum sagas in aquam immergit, ut
istis adhuc diutius uti queat; contra verò insontes (DEO ob peccata id
permittente) elevat, quò iudicem ad iniquam sententiam pertrahat. Adde
& hoc, quod aqua in baptismo non distinctionem faciat inter fideles & infide-
les, quatenus aqua est, sed quatenus certi huius sacramenti aqua. Rectè n.
Lutherus: Aqua, inquit, tam magnas res non efficit: Sed verbum Dei iux-
ta aquam, & unà cum aqua, & fides, quae tali verbo in aqua credit: Quia
aqua sine verbo Dei est simpliciter aqua. Si ergò aqua in hoc tentationis
genere debet distinguere inter fideles & periuros, fontes & insontes, id non fa-
ciet per se, nisi accedat verbum, & fiat certi Sacramenti aqua. Atque neque ver-
bum hic est, vel mandati vel promissionis, neque est Sacramenti certi aqua:
Non enim est hominum potestas, conditio atque auctoritas, ut suo arbitratu
Sacramenta constituent: Ergo illa vis aquae nullo modo inest. Nos igitur
quibus religio & recta ratio magis, quam eiusmodi vanitates curae esse de-
bent, cum communi Ictorum, Medicorum & Philosophorum sententia, con-
trarium statuimus & palam asserimus, hoc probationis genus Diaboli in-
sidia & malitia excogitatum esse, per idem DELUM tentari,
multosque innocentes condemnari.







5h

D. O. M. A.
DISPUTATIO VIII.
Centuriae Quintae

QUÆSTIONUM
ILLUSTRUM
Philosophicarum,
*In Inclytâ Wittebergensi Academia
Publicè*
Proposita
PRÆSIDE
M. Jacobo Martini
Logices Profefs. Publ.
RESPONDENTE
Ioanne Mülberge-
ro Ratisponenſi,
*Ad diem 23. Julij in auditorio Collegij
veteris.*

WITTEBERGÆ,
*Typis Martini Henckelij, Impensis Pauli
Helovvighi Anno M. DC. VIII.*

